

Nf. 24.



PRO-RECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
CHRISTIANV
BENEDICTVS
MICHAELIS,
PHILOSOPHIAE PROFESSOR PVBL. I
ORDINARIVS,

VNA CVM

DIRECTORE, CANCELLARIO
ET PROFESSORIBVS RELIQVIS

AD

SACRA NATALITIA
IESV CHRISTI *bt.*

DIGNE CELEBRANDA *Do. I. 14.*

CIVES ACADEMICOS

PERHVMANITER INVITAT.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis IOH. CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



Vod bene & in salutem omnium verat DEVS
T. O. M. denuo nunc, CIVES! festos dies Na-
tiuitatis Domini ac Saluatoris nostri IESV CHRIS-
TI celebramus: cui mirandæ natiuitati in soli-
dum debemus, quod homines nos natos esse non
poenitet, sed in DEO gaudemus. Quia enim
*Puer iste natus est nobis, & Filius DEI datus
est nobis*, Esa. IX, 5. ideo datum etiam nobis est
ius & potestas, vt filii Dei simus, quotquot vera fide illum excipi-
mus, & credimus in nomen ipsius, Ioh. I, 12. c. XVII, 3. Act. IV, 12.
Ideoque magnus gentium doctor & apostolus, Paulus 1 Tim. III, 16.
grauissime scribit: *Et citra controversiam magnum est pietatis myste-
rium: DEVS IN CARNE EST MANIFESTATUS.* Quod autem mys-
terium non solum, sed etiam magnum, immo ἐμολογεμένως, siue omnium
confessione magnum mysterium vocat, DEVS manifestatus est in carne;
non hoc sentit, quali nulla huius doctrinæ vel cognoscendæ vel ex-
plicandæ ratio in Ecclesia habenda sit; sed ideo mysterium pietatis,
vel secundum 1 Cor. II, 6. 7. 8. sapientiam in mysterio absconditam, vo-
cari ait, quod non sit sapientia huius seculi, nec principum huius se-
culi: hoc est, quod diuina hæc & saluberrima doctrina, rationi hu-
manæ a natura, huiusque viribus non sit nota, ne quidem præstan-
tissimis ingeniis, & iudicii acumine aliqui maxime pollutibus. Ad-
dit autem v. 10. DEVM per Spiritum suum in verbo de illo mysterio
patefecisse nobis, quantum ad veram ac salutarem cognitionem in hac
vita vtile ac necessarium nobis esse iudicauit.

Et plurima quidem, immo innumera ferme sunt cum Veteris,
tum Noui Testamenti oracula, quæ magnum illud pietatis mysterium
pandunt; ex quibus vberius instituentur, qui hisce feriis publica sa-
cra cum debita deuotione frequentabunt; hic autem pro instituti ra-
tione vnum tantum aphorismum ex Euangelii Ioannæ capite I. comma-
te 14. considerabimus, qui & compendium doctrinæ de CHRISTO
exhibet, & ὁμολογίας (vt veteres loqui amant) siue incarnationis mys-
terium breuiter describit; hoc sine, vt credamus, IESUM esse Christum
siue Messiam, Filium DEI, & vt credentes vitam habeamus in nomine
ipsius, Ioh. XX, 31. Verba Euangelistæ & Apostoli I. c. hæc sunt: καὶ
ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῶν ἢ ἐθεοομήσατο τὴν ὄψιν αὐτοῦ
δόξαν ὡς μονογενὲς παρὰ πατέρα πλήρης (αὐτὸς πλήρη) χάριτος καὶ ἀληθείας.
h. e. sec. VVLGATAM versionem: ET VERBUM CARO FACTVM EST,
ET HABITAVIT IN NOBIS: ET VIDIMVS GLORIAM EIVS, GLORIAM
QVASI VNIGENITI A PATRE; PLENUM GRATIÆ ET VERITATIS.
vel sec. Theod. BEZAM: *Et sermo ille factus est caro, & commoratus
est inter nos, (& sp. Auimus gloriam eius, gloriam inquam, vt vni-
geniti egressi a Patre) plenus gratiæ ac veritatis.* Noster autem Seb.
sc HMBIVS ita reddidit: *Ceterum Verbum Caro factum est, & habitauit
in nobis; & vidimus gloriam ipsius, gloriam sicut unigeniti a Patre; plenus*

plenus enim erat gratia & veritate. Plures versiones haud addimus, & breuiter in illis verbis consideranda esse monemus I. *Connexionem & scopum* verborum, II. *Subiectum*, & III. *Praedicatum*. Ipse vero Dominus noster Iesus Christus nos ducat in recto veritatis tramite: vt spiritualia spiritualibus conferentes, proferamus, quae faciant ad veram aedificationem!

Quomodo verba haec cum praecedentibus cohaereant, non vna mens est Interpretum. Quidam enim *causam* hic reddi putant *superioris sententiae*, vt coniunctio *καὶ* sit *ἀσπυρολογική*, quemadmodum sapissime in Veteri ac Nouo Testamento: nimirum, vt Verbum Dei substantiale nos homines ad diuinam maiestatem eueheret, ipsum in hac nostra humana natura se ostendit. Sic TICVRINI versioni suae, *Ei Verbum illud caro factum est*, in margine adscribunt, *Et pro Nam* posito. Et B. IOANNES CHRYSOSTOMVS homil. X. in caput I. Ioannis: *Cum dixisset, ex Deo natos v. 13. & filios Dei factos, qui eum receperunt v. 12. tanti honoris causam adiecit v. 14. quod Verbum caro factum est, & serui formam Dominus accepit. Factus est enim filius hominis dilectissimus ille Dei Filius, vt filios hominum filios Dei faceret. Supernum namque cum homine copulatum est, nullo quidem detrimento in propriam gloriam adfectum; hoc autem (hominis natura) ex multa elatum humilitate: quod certe in Christo factum est. Suam namque naturam descensu suo nihilo inferiorem reddidit; nos autem, quum in ignominia ante & in tenebris essemus, ad supernam gloriam erexit.* Sic etiam Chrysofomi abbreviator THEOPHYLACTVS ad h. l. p. 387. edit. Rom.

Alii, ad tollendam lectori *admirationem*, maiori quadam admiratione hoc dictum esse volunt. Quomodo B. AVGVSTINVS: *Quid ergo miraris, ait, quod homines ex Deo nascuntur? attende ipsum Deum natum ex hominibus? Et Verbum caro factum est, & habit. vit in nobis.* Expositione in Euangelium Ioann. tract. II. Alii denique, ne pluribus recensendis immoremur, *modum* declarari existimant, quo *Christus in propria venerit*, v. 11. per adsumtam nimirum humanitatem. Nos vt nihil horum prorsus reiciamus, ita simplicissimum esse putamus, quod B. Chrysofomus alique conuenienter ad hunc contextum docuerunt. Describit enim Euangelista in antecedentibus huius I. capituli α) Filii Dei diuinitatem v. 1-4. β) Officium eius redemptorium, v. 4-11. & γ) manifestationem in carne, v. 14. Vnde etiam de scopo huius Dicti constabit, quantum satis est.

Ab ordine igitur suae connexioni huius aphorismi ad verba & ipsam rem breuiter considerandam pergamus: vbi ante omnia *Subiectum*, vnicuique nomine *ὁ ΛΟΓΟΣ* ab Euangelista designatum, pie meditandum occurrit: reliqua enim omnia ad *Praedicata* referenda sunt, quibus tam ipsa incarnatio, quam eius consequens describitur. Subiecti itaque vices, vt modo dictum est, explet *ὁ λόγος*: quod nomen alias per varia & maximi momenti significata foecundum admodum esse, Scriptores Graeci testantur, & vsus, & Lexicographi. Nos hic vnicum tantum, eumque

cumque eminentissimum significatum attendimus, quo IPSVM MET FI-
 LIVM DEI siue secundam in S. S. Trinitate hypostasim, a Ioanne τὸν
 λόγος vocari, ex nostro hoc loco, & huius capituli initio, item 1. Ioh. I,
 1. 2. c. V, 7. Apoc XIX, 13. certum est; vti a Luca Actor. I, 3. Quo
 nonnulli etiam referunt dicta Actor. XX, 32. Hebr. IV, 12. de verbo
 Euangelii sec. alios explicanda; de quibus tamen nunc disputandi locus
 non est: quia alia restant, non fuisse, sed strictim enarranda. Quæritur
 enim, unde desumpta sit ab Euangelista hæc adpellatio? & qua sub notio-
 ne Latina hoc ipsum nomen Græcum τὸν λόγος sit accipiendum & red-
 dendum? dum communiter, nec male, VERBUM; a multis SERMO; ab
 aliis vero RATIO siue SAPIENTIA vertitur, coll. Prov. VIII, 1. 22 seqq.
 cum Ioh. I, 1-3. 18. Plaustra certe sunt disputationum de hac voce,
 etiam apud veteres, quæ nunc præterimus. Videndi sunt IRENÆVS;
 Lugdunensis in Gallia Episcopus; & qui eo posterior fuit, TERTULLIANVS;
 Magnus item BASILIUS & HIERONYMVS; quibus neque GREGORIUS
 NAZIANZENSIS est postponendus. Hodie autem extra dubium fere
 ponitur, Ioannem Euangelistam ista adpellatione ad Chaldaicum idioma
 respexisse, quod isto tempore inter Iudæos vitatum erat, & quo secunda
 in S. S. Trinitate Hypostasis siue *Filius Dei* a Targumistis מִימְרָא דֵי
 VERBUM DOMINI frequentissime adpellatur; sicut paucis abhinc an-
 nis peculiari dissertatione in hac etiam Academia comprobatum fuit.
 Quod etsi negari simpliciter non potest, alii tamen non immerito ad
 ipsos etiam Canonicas Scripturas Veteris Testamenti, & ad Fontem
 Ebraicum redeundum esse existimant: ita, vt origo huius nomenclaturæ
 quaerenda sit vel Hagg. II, 5. Pf. XXXIII, 6. & CVII, 20. coll. Sap. XVIII,
 15. in quibus locis *Dei Filius* יְהוָה דְּבַר VERBUM DOMINI nomina-
 tur; vel Prou. VIII, 1. seqq. vbi arcano & augusto nomine חֵכְמָה aeterna
 DEI SAPIENTIA vocatur. Rationes vero, ob quas Filius Dei ὁ λόγος
 vocatus fuerit, ex mente veterum tres potissimum sunt. *Prima*, vt osten-
 datur, quod *Filius ex mente Dei ab aeterno prodierit, & imago sit Geni-
 toris, totum illum in se exhibens*, & proprie subsistens, Ioh. XIV, 9. 10.
 sicut *verbum vel sermo* noster ex mente nostra prodit, & effigies est animi
 siue totius cogitationis. *Alteratio* est, quia Dei Filius sit *persona so-
 nans & loquens cum Patribus*, & edens diuinas promissiones. A qua sen-
 tentia non proorsus abnuunt ipsi etiam Iudæi, quando ex antiqua suorum
 institutione scribunt: vt adparet ex illis, quæ passim ad Biblia Ebraica,
 v. c. ad Exod. XX, 1. c. XXIV, 6, adnotata leguntur. *Tandem* sunt, qui
 Filium Dei λόγος, quasi *causam & rationem* vocari autumant, quod omnia
 per eum Pater condiderit, secundum Gen. I, 3. & illud Pf. CXLVIII, 5.
Ipsè dixit, & facta sunt. Verum si ex hac ratione Filius Dei Patris
 λόγος est, etiam Spiritus S. sic vocari poterat; quod tamen nusquam in
 sacris litteris fieri meminimus. Non minus enim Spiritus S. cum Deo
 Patre huius vniversi conditor est, quam Filius Dei, coll. Gen. I, 2. Pf.
 XXXIII, 6. & CIV, 30. Iob. XXVI, 13. c. XXXIII, 4. cet. Eadem vero
 difficultas etiam alteram premit rationem; etsi nihil in se illa habeat,
 quod

quod non verissime de Christo prædicetur, multoque plures calculos, etiam inter recentiores intulerit. Ita enim *Theod. BEZA* in adnotatis ad Ioh. I, 1. *Λόγον* de CHRISTO, *Sermonem* potius, quam *Verbum* reddendum esse censuit, cum *Cypriano, Lactantio, Ambrosio, Hilario & Augustino*. Et sic *Ioannes COCCEIUS* in Lexico Ebr. col. 150. ad Hagg. II, 5. *Notatur is*, inquit, *de quo Deus loquitur, & per quem loquitur; & qui exhibitus hominibus rebus ipsis loquitur, quis sit Deus.* 1 Ioh. I, 1. *dicitur* *ὁ λόγος τῆς ζωῆς*, quia totus sermo vite est de ipso & ab ipso. Quæ latius deducta videri possunt apud eundem ad Haggæi cit. locum. Licet autem in se illa sint verissima; seopo tamen & menti Evangelistæ non satisfaciunt. Nam *ὁ λόγος*, vt ex toto contextu, eiusque præsertim initio patet, non humanam, sed diuinam in Christo naturam denotat: nec ideo, quod per eum DEVS ad nos loquitur, aut quod mentem Patris nobis exposuit, Filius Dei Patris *λόγος* est; sic enim Spiritus S. etiam ita foret adpellandus, coll. Ioh. XIV, 26. c. XV, 26. c. XVI, 7. seqq. Quin potius Filius Dei, non minus *ὁ λόγος* Dei Patris ab æterno, quam nunc est: quia a mente & intellectu Patris ab æterno *produciitur*, & ex Eo veluti *exit*, sicut quando nos verbum mente concipimus, & sermonem ore *emittimus*. Quod simile ad rem profundissimæ sensus quodammodo declarandam adhiberi solet; quum aliud commodius non datur, quod ad magnum hoc mysterium propius accederet. *Messias autem*, inquit doctissimus VITRINGA in Comment. ad Apoc. XIX, 13. *si SERMO vocaretur DEI, quod Deus per eum loquutus sit, sic præcipue adpellandus esset, quod tanquam MAGNVS PROPHETA ET ORACVLVM DEI in carne sit manifestatus*, Hebr. I, 1. *Id vero alienum est ab oratione Ioannis, qui τὸν λόγον iam ante condita sæcula ait fuisse IN SINU PATRIS, ET APVD PATREM, antequam vlla ORATIONE hominibus innotuerit*. Præferenda igitur prima Veterum ratio est, nihilque certius aut tutius esse videtur, quam nomine *τῆς λόγῃς* potissimum respici a Ioanne ad nomen *חכמה* SAPIENTIA; sub quo Salomo de hypostatico *λόγῳ* Prov. VIII. locutus fuerat. Quomodo etiam ipse Dominus sese *Sapientiam* vocauit Matth. XI, 19. Luc. VII, 35. coll. Col. II, 3. 9. Patet huius sententiæ veritas ex toto contextu initii Evangelii Ioannis: in quo argumenta & phrasæ ex Prov. VIII. desumptæ sunt; etiam v. 18. apertissime ad Prov. VIII, 30. respicitur. Vnde talem eligere oportet interpretationem *τῆς λόγῃς*, quæ cum SAPIENTIAE voce proxime conueniat: recteque iam suo tempore censuit LACTANTIUS: *Sed melius Græci λόγον dicunt*, quam nos verbum siue sermonem: *λόγος enim & sermonem significat, & RATIONEM; quia ille est vox & SAPIENTIA Dei*. Instit. div. lib. IV. c. 9.

Verum sufficiant hæc hæc hactenus de *Subiecto* obseruata, vt *Prædicata* etiam consideremus, quantum pro instituto nostro licuerit. Triplex autem, vel pro diuersa lectione & constructione quadruplex in verbis nostris *Prædicatum* exstat: quorum *primum* ipsam *incarnationem* breuiter dicit; reliqua illius consequens vnum vel alterum exponunt. Illud in verbis continetur *σὰρξ ἐγένετο*, CARO FACTVM EST; vbi iterum *Prædicatum* ipsum & verbum substantiuum probe sunt attendenda. *Prædicatum* vnius syllabæ, sed magnæ significationis nomen est, *ΣΑΡΞ*, i. e. CARO

siue HOMO, nobis consubstantialis; vt mox ex Scripturis ostendemus. Quum enim homo anima & corpore constet, non tantum Ebraica lingua, sed etiam vicina, Chaldaica, Syriaca, Arabica, per Synecdochen alterutram partem pro toto sapsissime ponere consueverunt: quod Noui Testamenti Scriptores haud raro imitati sunt. Animam quidem exempli causa, Gen. XII, 5. c. XIV, 21. c. XVII, 14. c. XLVI, 15. 18. 22. 25. Rom. XIII, 1. 1. Pet. III, 10. Carnem vero Gen. VI, 12. 13. Num. XVI, 22. Deut. V, 23. Efa. XI, 5. 6. Pf. LXVI, 3. Dan. II, 11. Matth. XXIV, 22. Act. II, 17. Rom. III, 20. & apud nostrum Ioannem c. XVII, 2. Et hoc significatu, pro toto homine, qui anima & carne siue corpore constet, *σὰρξ* quoque in praesenti loco accipi, ex eo constat, quod Christus non solum Caro, sed & Homo Ioh. VIII, 40. 1. Tim II, 5. & Filius hominis frequentissime dicitur; & expresse quoque anima eius Matth. XX, 28. c. XXVI, 33. Luc. XXIII, 46. cum conditionibus naturae propriis nominatur; vt pluribus suo loco docetur. Quomodo enim pueri participes sunt carnis & sanguinis, ita *παισιν ὁμοίως, eadem prorsus ratione*, quod ad substantiam attinet, siue omni tamen vitio vel peccato, *particeps eorum factus est*; vt Paulus docet Hebr. II, 14. c. IV, 15. c. VII, 26. cet.

Verbum substantiuum *ἐγένετο*, quod ex prima aphorismi nostri propositione restat, vsus hic est prorsus singularis & admirabilis. Ita enim Praedicatum cum Subiecto connectit, & tale quid factum dicit, quale non factum erat antea, nec vnquam porro fiet. Etenim Verbum, *ὁ λόγος τῆς Θεῆς*, & ipse Deus, v. 1. Caro siue Homo FACTVS EST; h. e. aeternus Dei Filius, naturam hominis hypostasi suae diuinae vnuit, fecitque, vt in eadem hypostasi aeternum subsisteret homo, in qua aeternus subsistebat Dei Filius. Et ad haec enarranda quis sufficit! Quum Deus corpus Adami de limo terrae formasset, & inspiraret ei vitæ spiraculum, Moses dicit: *Et factus est Adam siue homo in animam uiuentem*, Gen II, 7. quod Paulus 1. Cor XV, 45. repetit: *ἐγένετο ὁ πρῶτος ἀνθρώπος Ἀδάμ εἰς ψυχὴν ζῶσαν, factus est primus homo, Adam, in animam uiuam*, seu uiuum animans: non quod Adam, qua parte *χρῆδος* & caro erat, conuersus esset in animam siue spiritum; sed quod animæ & corporis in vno homine vnio, & ex illa coniunctione communicatio etiam vitæ fieret. Sic *ὁ υἱός ἐξ ἐργασίᾳ*, aeternus Dei Filius, siue diuina Christi natura, non conuersa in humanam naturam fuit; sed vtraque natura *ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαίρετως ἢ ἀχωρίστως* personaliter ita coniuncta est, vt in omni aeternitate, sine omni confusione ac mutatione, *indissolubili ac inseparabili* duarum naturarum vnione vnus sit CHRISTVS Θεοῦ γεννητός, genitus ex femine Dauidis *τὸ κατὰ σάρκα, κατὰ δὲ τὸ πνεῦμα* seu diuinam naturam (coll. Ioh. IV, 24. 1. Pet. III, 18.) *ὁ ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητός εἰς τὰς αἰῶνας*. Rom. I, 3. 4. c. IX, 5. Eam similitudinem, a coniunctione corporis & animæ desumptam, quum SYMBOLVM ATHANASIANVM quoque bene attenderit, merentur verba eius, vt etiam hic ex Libris nostris Symbolicis repetantur. Sic enim ibid. p. 4. habet: *Qui licet DEVS sit & HOMO; non duo tamen, sed vnus est CHRISTVS. Vnus autem non conuersione diuinitatis in carnem, sed adiunctione humanitatis in Deum. Vnus omnino non confusione substantiae, sed vnitate persona. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus.*

De consequente Incarnationis priori, visibili nimir. conuersione τῆς λόγιᾳ incarnati inter homines, alterum agit praedicatum: *ἢ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῶν, & habitauit in nobis* siue *inter nos*; praepositione EN saepius INTER significante, e. c. Matth. II, 6. c. VIII, 10. c. XIII, 32. c. XX, 26. 27. Luc. VII, 16. c. XXII, 26. Act. XXII, 29. 2. Cor. VI, 16. cet. Quin etiam *in nobis*; quia in homine, h. e. in humana natura, ex substantia Mariae Virginis suscepta, *habitauit*. Atque sic impletam re ipsa fuit, quod ipse Dei Filius Zach. II, 14. 15. praedixerat: *Iubila & letare, o filia Sion! Nam ecce ego venturus & habitaturus sum inter te, ait verissime DOMINVS. Personaliter*
niiii-

nimirum & *σωματικῶς*, Col. II, 9. *in templo* vel tabernaculo corporis sui, Ioh. II, 19. 21. Ebr. IX, 11. c. X, 20. non in vmbra tabernaculi vel templi Leuitici; collatis adnotatis in Bibliis Ebraicis ad citatum Zachariæ locum. Sic enim *Corsus* etiam nostrum animæ *tabernaculum*, vel & Spiritus S. *domicilium* ab Apostolis vocatur 1 Cor. III, 16. c. VI, 19. 2 Cor. V, 1. 2. 4. 2 Pet. I, 13. 14. adde Sap. IX, 15.

Alierum sequitur nunc consequens incarnationis, *diuinorum idiomatum* in Christo facta *communicatio* & *manifestatio*; quæ velut tertium prædicatum his verbis exprimitur: *Et vidimus gloriam eius; gloriam ceu vere unigeniti a Patre; plus enim fuit gratia ac veritate.* Nimirum, si quis quæsiuisset ex Euangelista nostro: Vnde sciret aut probaret, verum id esse, quod dixerat, *Filium Dei carnem factum esse, Et inter homines ita habitasse?* experientia & oculorum testimonio illud confirmat: quemadmodum insequentibus etiam Ioannis Baptistæ testimonio vtitur, auditu percepto. *Vidimus* inquit, & *aperte conspeximus, Θεωσαµεθα* (sicut Ioannes Baptista Spiritum Dei sub columbæ specie e cælo descendentem, Ioh. I, 32. vel Iherosolimitæ *gloriam Dei* & splendidam lucem in Tabernaculo & Templo spectauerant, Exod. XL, 34. 35. 1 Reg. VIII, 10. 11.) *gloriam eius.* Idque non solum Petrus Iacobus & noster in eximia illa transfiguratione Christi, quæ Matth. XVII, 1. seqq. Marc. IX, 2. seqq. Luc. IX, 29. seqq. 2 Pet. I, 16. seqq. describitur; sed ceteri etiam Apostoli, & quotquot per Spiritum Christi oculos relectos habuerunt, ex omnibus ipsius dictis & factis; per miracula & diuinam doctrinam, prædicationes & cogitationum cognitionem; in iis etiam quæ circa passionem, mortem, resurrectionem & ascensionem in cælos, & per Spiritus S. effusionem &c. contigerunt, diuinam Christi gloriam palam agnouerunt; coll. Ioh. I, 33. 34. 42. 46. 50. 51. c. II, 11. 17. 22. seqq. c. III, 2. c. XI, 45. c. XII, 23. cetera. Vnde idem noster Euangelista hanc visionem 1 Ioh. I, 1. 3. ita describit: *Quod erat ab initio; quod audiuiimus, quod vidimus oculis nostris, Θεωσαµεθα, quod palam conspeximus, Et manus nostræ contrectarunt; - - Quod, inquam, vidimus Et audiuiimus, adnuntiamus vobis.*

Viderunt autem & oculis suis contemplati sunt *gloriam eius*, nimirum τῆς δόξης, quam in carne esset; vt optime Theophylactus commentatur. Eaque gloria nulla est alia, quam diuina maiestas, omnipotentia, & reliqua attributa diuina, immo πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος, siue plenissima Deitas, quæ personaliter in CHRISTO habitabat. Col. II, 9. Nulli igitur creaturarum ista gloria cum eo communis est, sed propria Deo, adeoque incommunicabilis, Esa. XLII, 8. c. XLVIII, 11. Filius tamen cum Patre eam communem habet per generationem & naturam diuinam; secundum humanitatem vero per vnionem personalem & communicationem. *Omnia namque quæ Pater habet, sunt Filii*, Ioh. XVI, 15. c. XVII, 10. Vnde gloria vnigeniti a Patre, eadem omnino est, quæ gloria Patris. Patet id etiam ex *addita eius descriptione*, qua docetur, quæ & qualis illa fuerit, nimir. *ὁμοῦν ὡς μονογενῆς πατρὸς πάσης.* *gloriam, vt vere unigeniti a Patre.* ὡς enim non ὁμοιωσῶν, similitudinem, sed *ἰσοῦσῶν*, confirmationem & veritatem rei hic denotat, momentibus dudum Chrysostomo & Theophylacto ad h. I. Digna sunt verba, quæ saltem Latine ex THEOPHYLACTO referamus: *Spectauimus autem ait, gloriam, non talem, qualem habebat Moses, vel cum Cherubim & Seraphim Prophetæ adparuerunt; sed talem gloriam, qualem decuit esse unigeniti a Patre, quæ illi naturaliter inest. Nam ὡς SIGVT, hic non similitudinis, sed confirmationis & determinationis indubitatae verbum est. Sicut quum Regem videmus cum gloria magna venientem, dicimus, QVOD VELVT REX PRODEAT, QVOD VERESIT REX; ita etiam hoc lo. o. intelligere debemus VELVT VNIGENITI; quod gloria, quam spectauimus, re vera fuerit gloria Filii, plena gratia ac veritate.* Exempla emphatici illius vsus & sensus huius particule passim obuia sunt in Veteri ac Nouo Testamento. v. gr. Num. XI, 1. Iob. X, 22. c. XXVII, 7. Neh. VII, 2. Matth. VII, 29. c. XIV, 5. c. XXI, 26. 1. Cor. III, 1. c. IV, 1. c. VI, 25. Phil. II, 8.

Eph.

Eph. V. r. *Μονογενής* autem non solum *dilectum* vel *dilectissimum* notat, coll. Matth. III. 17. c. XVII. 5. sed *unigenam* vel *unicum* significat hic & infra v. 18. c. III. 16. 18. & Ioh. IV. 9. vt Ebraicum *יחיד* Gen. XXII. 1. 12. 16. Iud. XI. 34. Ier. VI. 26. Am. VIII. 10. Zach. XII. 10. Prov. IV. 3. qualis est æternus Dei Filius, quem solum ac vnicum Deus Pater ex substantia sua ab æterno genuit Pf. II. 7. Ebr. I. 5. adeoque *ἰδιος Θεὸς υἴος*, Rom. VIII. 32. coll. Ioh. V. 18. *Μονογενής* ἐχ' ὁ πατὴρ μόνος γενόμενος, *αἰδ' ὁ μόνος γεννηθεὶς*, ἐν τῇ κοινῇ χεῖρεσσι προσαγορευέτασ. h. e. *Unigenitus non qui a solo genitus, sed qui solus genitus est, in communi usu appellatur*, ait BAS LIVS M. lib. II. contra Eunomium tom. II. p. 59. Sic SYRVS: *vt unigeniti a Patre, ARABS: filii unici Patri suo, & ÆTHIOPS: gloriam unius, qui unicus est Patri suo.* Verba enim sequentia πατὴρ πατρός, cum proxime præcedenti *μονογενῆς* construenda sunt, vt sua sponte fluunt; non referenda ad δόξαν, *gloriam*, quemadmodum ERASMVS & illum sectutus GROTIUS opinati sunt, ex coll. 2. Pet. I. 17. siue pro sententia nostra subintel- ligas Participium *γεννηθεὶς*, siue etiam ipsum nomen *μονογενῆς* constructione uerbi vel participii imitetur, more Ebræorum, vt Deut. I. 27. c. X. 1. 1. Esa. XI. 9. cet.

Restat tandem clausula aphorismi nostri *de diuina gratia ac veritate*, quæ tanquam nouum prædicatum & documentum manifestati in carne Filii DEI, siue ἐν πνεύματι τῆσ σαρκικῆσ θεότητος ponitur. Non patitur huius chartæ angustia, vt de varietate constructionis, aut lectionis in paucis Codicibus Græcis, multa disceptemus. Schmidii versionem, & receptam ac communem lectionem lubentes sequimur, quod Ellipsi verbi substantiui in sacris litteris nihil frequentius est. Rem igitur tantum spectamus, & animadvertimus. *Λόγον* siue unigenitum Dei Filium in carne plenum *gratia ac veritate* nominari; quia natura eius humana non tantum dona Spiritus S. finita, sine omni defectu, in sancta & immaculata conceptione accepit; sed immensa etiam & infinita, ex personali cum *Λόγῳ* siue diuina natura vnione, coll. Pf. XLV. 8. Ioh. III. 34. Adeoque maximum discrimen intercedit inter Christum Hominem, & ceteros sanctos, quos etiam gratiæ vel donorum Spiritus S. plenos fuisse, testatur Scriptura, e. c. Luc. I. 15. 28. 30. Act. VI. 3. 5. 8. cet. Nam vt diximus, in Christo infinita, in sanctis autem illis hominibus finita plenitudo gratiæ fuit, *secundum mensuram donationis Christi*, Eph. IV. 7. Nam *de plenitudine Eius nos omnes accepimus, etiam gratiam pro gratia*, vt ex sequenti v. 16. liquet. Eaque in oppositione ad *Mosen & Legis ministerium* dicuntur. *Nam Lex per Moysen data est; gratia autem & veritas, אמת וחסד* tantopere in V. T. celebrata, *per Iesum Christum facta est* siue obtigit nobis v. 17. *gratia* nimirum *lustrificationis & sanctificationis*, vt ex toto Codice sacro constat. *Veritate* autem Christus plenus fuit, dum omnes figuras & promissiones Veteris Testamenti ex affe impleuit, & cumulatiflime, quæ promissa olim fuerunt, nobis præstitit.

O beatam igitur nostri Seruatoris IESU Christi natiuitatem, ex qua vna tot ac tanta beneficia ac bona in miserimos mortales redundarunt! Immo & nos felices, si digne excipimus oblatam salutem, & vere credimus in nomen illius! Etiam vobis, O CIVES! lætum hoc nuntium fertur. *Vobis etiam Deus Filium suum misit, qui benediceret vobis; vnoquoque se conuertente a prauitatibus vestris.* Actor. III. 26. *Eo magis itaque tis, quæ nuntiat a nobis sunt, attendere nos oportet, ne nostra negligentia aut culpa præterfluamus. Si enim per angelos vel nuntios Dei olim dictus sermo firmus fuit, omnique transgressio & contumacia iustam mercedis retributionem retulit: quomodo nos effugiemus, si tantam salutem neglexerimus?* Hebr. II. 1. 2. 3. Itaque DILECTISSIMI CIVES! DOMINO seruite cum timore, & letamini cum tremore. Natum nobis Filium osculamini, ne irascatur, & pereatis in via: quum breui tra- sive mandet. *Boari itaque sunt omnes, qui ad ipsum confugiant, siue*
confidunt in Eo! P. P. in Acad. Fridericiana in feriis Nata-
 litiis clō Ioce xxv.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





PRO-
ACADEMIAE
CHRIS
BENE
MIC
PHILOSOPHIAE
OR
DIRECTOR
ET PROFE
SACRA
IESY
DIG
CIVES
PERH
HAL
Typis IOH. CHR



AE
V
VS
BL. I
ARIO
IS
IA
bt.
o. I. 14.
OS
Typogr.

